



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Laborantem Agricolam oportet primum suorum laborum participem esse  
&c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

## II. EPISTOLA AD

Ad hæc difficilia opera necesse est, iuniores discendo præparari. Talibus dictis omnibus præcipiuntur, & approbantur studia doctrine. Hac erecti consolatione libentius discamus & feramus communes difficultates nostri ordinis, & expectemus auxilium & defensionem à Deo. Iuxta illud 1. Corinth. 15. Non est inanis labor uester in Domino.

*Nemo militans implicat se negocijs victus &c.*

Similitudo sumpta est à militibus, qui non possunt domi manere, ut regant economiã, neque uagari negociationum causa, sed miles totus seruit sue functioni, Ita uult ministrum Euangelij totum seruire propriæ uocationi, & non ingerere se in alienas, in gubernationem politicam. Non habeat minister Euangelij alterum pedem in templo, alterum in curia. Et Petrus inquit: 1. Pet. 4. Non sitis ἀλλοτρίοις κεραι. Item 1. Thess. 4. In hoc sitis ἠρότιμοι, ut sitis quieti, & propriè agatis.

*Laborantem Agricolam oportet primum suorum laborum participantem esse &c.*

Vult Deus intellectum iusticie & aliam



uirtutum in hominibus lucere, ut agnoscamus ipsum qualis sit, & discernamus eum à malis naturis. Cum autem sit bonus & seruans creaturas, est etiam equalis, bonus bonis, id est, seruans bonos, & puniens malos. Hæc in eo equalitas nominatur iusticia. Ac docet nos quoq; iusticiam esse equalitatem, & eam à nobis flagitat. Hunc igitur ordinem instituit, ut homo seruet equalitatem erga homines, non noceat alijs, det res pro rebus, pro labore mercedem. De hac equalitate loquuntur dicta Leuit. 19. Diligas proximum sicut te ipsum. Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Lucæ 10. Dignus est operarius mercede. Talis est equalitas, ut is qui suo labore coluit agrum, fruatur rebus ibi nascentibus.

Cum autem Paulus antea præceperit, ne implicentur Doctores negocijs uictus, quæ impediunt officium, mox addit responsionem ad eam questionem, quæ opponi poterat, Vnde igitur uiuent docentes? Respondet proposita similitudine: Agricola fruatur suo labore, ita docentes uitium habeant ex collatione Ecclesiæ. Hoc præceptum sæpè repetitum est, Quia uerò addit Paulus admonitionem, *Considera quod dico, det tibi Dominus intellectū in omnibus,* significat non tantum loqui se de mercede corporali,



II. EPISTOLA AD

rali, sed etiam de incremento donorum, qua fideliter docentibus auget Deus, Vt Agricola primum fruitur suo labore, Sic Doctor fidelis primum percipiet sui laboris præmia, accendet Deus in ipso maiorem lucem, maius robur fidei, & alia dona, quia fideliter docet, sicut parabola de negociantibus docet, Luc. 19. Habenti dabitur, & à non habente etiam id quod habet auferetur.

*Præsta te ministrum rectè secantem sermonem veritatis &c.*

**E**Xistimo sumptam esse metaphoram à diuisione membrorum in uictimis, quas non licet temerè partiri, sed pectus & hamos oportet abscindi ab adipe, & dari Sacerdotibus, qui in uictimabant, Adeps, renes, cauda cremabantur, & Lex non solum significationis, sed etiam utilitatis rationem adhibuit, attribuit enim eas partes Sacerdotibus, quæ sunt magis carnosæ, reliqua cremabantur. Cauda significabat omnes actiones referendas esse ad Deum tanquam ad finem. Adeps seu pinguedo significabat rigari omnia à Deo. Renes significabant carnales affectus cremandos.

Ab illa igitur arte secandi uictimam sumitur similitudinem, cum iubet rectè secari uerbum Dei. Complectitur autem uniuersam diligentiam rectè docendi.